This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

1528
e. 45

600031021D

PRESS 175
SHELF 6
Nº 13

C

1528 e. 45.

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

ANGINA MALIGNA,

RADCLIFFE LIBRARY
UNIVERSITY
MUSEUM
OXFORD

Nathanaeli Hollingsworth
Armigero,
Literis humanioribus et
adhuc magis
optimis Virtutibus
ornato,
Hanc Dissertationem
ut
pertenue
Amicitio
Signum,
offert
Auctor.

DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS,

Presented by E. L. Hussey Esq.

DE

ANGINA MALIGNA,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

ARTHURUS BEDFORD,

ANGLUS.

E Coll. Div. Joan. Bapt. Oxon. et

Societ. Reg. Med. Soc.

Extraord.

Non nobis licet eſſe tam diſertis,
Qui muſas colimus ſeveriores.

MART. Epigr. IX. 12.

RADCLIFFE LIBRARY UNIVERSITY MUSEUM OXFORD 12 JUL 82

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,XCII.

266

BODLEIAN LIBRARY

JOANNI BEDFORD,

ARMIGERO,

Sibi

Natura, Animo, Conſiliis

Patri Optimo,

Ideoque Nunquam Non Maximo Opere

Colendo Diligendoque;

Et

Suo Amico

CAROLO SCOT, M. D. S. R. S. &c.

Viro

Animi Candore, Morum Comitate,

Atque Ingenii Acumine Exornato;

Medico

Peritia Ac Prudentia

Excellenti;

Nec Non

Suo Amico

CHRISTOPHORO PEGGE,

Ex Æde Chriſti, M. D.

Eidemque In Academia Oxonienſi,

Inclyto Illo Omnium Bonarum Artium Seminario,

Anatomices Praelectori Conſultiſſimo,

Ob Beneficia Quam Plurima

Sibi,

Ibidem Nempe In Studiis Ingenuis Verſanti,

Delata;

Hocce Opuſculum,

Quale Id Cunque Eſt,

Animi Quidem Grati,

Summae Obſervantiae,

Pietatis Debitae

Teſtimonium,

Lubens Offert.

ARTHURUS BEDFORD.

DISPUTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

ANGINA MALIGNA:

Auct. A. BEDFORD.

PROOEMIUM.

MORBUS quidem hicce, utpote frequentior, ac plerumque deſubito exitiabilis, dat ſatis argumenti ad ſcribendum; ideoque, ex Academiae inſtitutis, de illo, quantum noſtra valebit infirmitas, differere viſum eſt.

Jam primum omnium conſtat, eum, initio fere ſeculi decimi ſeptimi, in Hiſpania, Italia, Sicilia, Melite, aliiſque circa locis, diutiſſime ‘ peſtis more in citiſſimam mortem pueros et a‘ dultos deduxiſſe *.’

Medici † interea, ab quorum nonnullis ſigna commode referuntur, valde, malo nimirum magna ex parte ignoto, haerebant; coacti autem neceſſitate, alius aliud, quod in tali re ſolet, petere novum quoque conſilium coeperunt.

Enimvero inter medicos, id quod neceſſe ſit, dum ipſa evidentia deeſt, huc uſque de quamplurimis parum convenit. Rationes profecto ſunt multo inter ſe penitus diverſae, atque eaedem ipſae curationes aliter aliis explicantur. Quin imo contraria eidem malo, eaque, pudendum dictuque

* L. Mercat. Conſult. Med. p. 135.

† Mercatus, Sgambalus, Corteſius, &c.

dictuque nefas! ex praejudicata ſcilicet opinione, vel ſalute diſſuadente, adhibita ſunt. Tale quid hic quoque olim accidiſſe poſtea forſitan videbitur.

Nunc vero exquirere, antiquioribuſne hic morbus innotuerit, nihil expedit; ex Hippocrate autem, Celſo, aliiſque dubitare par eſt; caeterum, quoquo modo ea res ſe habeat, certa tamen quam ſpecioſa memorare praeſtat.

Anno quidem milleſimo ſeptingenteſimo triceſimo nonoque noſtram in inſulam primo invaſit; cujus vero de cauſis propriis nihil, quod equidem ſciam, conjecturae traditur; ideoque crediderim, eum, ſicut complures ejuſdem modi, ſua contagia, coelo nempe ipſo obſequente, idque ratione quadam latente atque inenarrabili, latius egiſſe. Hoc autem tempore haud adeo ſaeviebat, ut valde timendus putaretur, et fortaſſe

medicos

medicos prorſus fugerit, niſi ſplendidam perſonam jugulaſſet.

Paucis vero itidem occiſis, non multum animadverſionis etiamnum excitavit, neque enim ante annum 1746, quo quidem plurimi homines perierunt, curae id ac formidinis, quod par erat, injecit. Non urbem tantummodo, ſed oppida etiam vicoſque proximos infeſtabat. Aliquando tandem vis ejus paulatim minui videbatur, atque adeo parentes ſuis liberis, qui omnium maxime periclitabantur, minus metuebant.

Londino In ~~Anglia~~ denique, ſub idem tempus, ſaepe inter vicos circa urbem, ſaepius tamen in locis prope flumen Tameſim verſabatur; caeterum vix ullos, niſi antea ex debilitate procliviores, aut protinus a principiis parum bene curatos, interemit.

DEFINITIO.

DEFINITIO.

Quae omnium praecipue arridet, haec eſt: ‘ Cynanche (maligna) tonſillas et membranam ‘ faucium mucoſam afficiens tumore, rubore, et ‘ cruſtis mucoſis, coloris albeſcentis vel cineritii, ‘ ſerpentibus, et ulcera tegentibus; cum febre ‘ typhode et exanthematis *.’

HISTORIA.

Omni tempore, frequentius autem hyeme ac vere, occupat; omnis aetatis, omnis habitus homines periclitantur; magis vero infantes, adoleſcentes, puellae, foeminae, quam adulti, pueri, virique.

Deinde

* Dr Cull. Noſol. Method. Gen. X. Spec. II.

Deinde alios aliter invadit; alii primum horrore cum quadam gutturis ſpurcitia et dolore, nec non moleſto rigore colli; alii, gutture adhuc integro, frigore et calore alternis cum capitis dolore, vertigine, ac torpore; nonnulli vehemente capitis, dorſi, et lumborum dolore, magna praecordiorum gravitate, aſſiduoque ſuſpiratu afficiuntur.

Semper autem fere incipit a capitis vertigine, cui interdum animae defectio ſubit, nec non a frigore tali ac horrore, quae febris intermittentis acceſſioni adſunt; magnus deinceps calor excipit, qui, aliquot per horas, frigido horrori cedens, inque vicem ſuccedens, certus demum ac maximus evadit; caput vehementius dolet; guttur moleſtia afficitur; collum rigeſcit; vomitus ac dejectio interdum, ſed raro, fiunt. Facies rubet, tumeſcitque; aliquando tamen palleſcit ac tenuatur; oculi, quaſi ex illacrimando, rubeſcunt. Calor denique et jactatio, antehac

hac parva, nunc ſub veſperam augeſcunt, durantque ad ipſum mane, quo fere tempore eadem, ſudore ſcilicet prorumpente, aliquatenus minuuntur.

Uva plerumque, tonſillae, velumque pendulum palati nonnihil tumida et ſubrubicunda ſunt; mox complures maculae coloris albeſcentis vel cinerii videntur; quae quidem ſerpentes totas pene fauces obtegunt denſis cruſtulis, hiſque demum excidentibus, ulcuſcula apparent.

Morbo vero ingraveſcente, nares intus fiunt rubidi ac pene lividi coloris; exit quoque ſanies tenuis, craſſiorve interdum, quae cutem vicinarum partium erodit; hoc autem infantibus praecipue accidit; veriſimiliuſque eſt, aliquid hujus vitioſi humoris cum eorum cibo in ventriculum deferri, idemque illum ipſum, nec non inteſtina itidem, ut faciei cutem, afficere. Hinc talis dejectio aliquando ſequitur, quae viſcera quodammodo

modo exulcerata indicat; quin etiam partes circa anum aliquando cute admodum privantur; unde colligere par eſt, ſaniem iſtam tota per inteſtina noxiam uſque manere.

Exanthemata ſaepius, die ſecundo, oriuntur, quae interdum unam duntaxat partem, interdum rubore totam faciem, collum, pectus, brachia, nonnunquam etiam corpus univerſum, idque manifeſto cum tumore, occupant. Eſt quidem, ubi nulla hujuſmodi unquam fiunt, atque alias quoque aliter tempore variant; alias enim tertio quartove die, alias quinto ſextiuſve exoriuntur. Quatriduum fere obverſantur, ſquamuliſque ex ſumma cute decidentibus finiuntur.

Porro autem de exanthematum effectis inter medicos parum conſtat; nonnulli enim putant, febriculam aliave ſigna nihil omnino neque ortu eorum, neque abitu leniri; alii contra, omnia

nia eorum ortu levari *. Hinc illud, medium ſcilicet inter diverſas ſententias, proximum vero videri poteſt, quod alias ita in melius mutatio fit, alias non item.

Caeterum D. Huxham auctor eſt, exanthemata, citius nempe orta, utique ſi ſquamulae ex ſumma cute plurimae recidunt, ſpem prope certam facere; eadem vero, livida jam, vel immature finita, nil niſi metum proponere.

Lymphaticae glandulae circa collum adeo nonnunquam tument, ut ſuffocatio inſtare videatur; quod quidem fit ex acri materia abſorpta, quae in fauces effunditur. Morbo autem increſcente, collum et guttur magno tumore, oedematoſus qui audit, circumcirca afficiuntur; unde, faucibus nimirum coarctatis, periculum

† B maxime

* Dr Cullen, Firſt Lines, p. 314. Ruſſ. Anim Econom. p. 109. Huxham, p. 232.

maxime augeſcit. Sub quo caſu, tametſi parotides moleſte admodum tument, malum nihilominus plerumque melius finitur, quam cum interiora vexantur *.

Calor et jactatio ſub noctem augentur; interdum quoque delirium naſcitur, quod quidem ſui generis eſſe videatur; namque homo aliquid interrogatus prudenter ſatis reſpondet, verum ſolus loqui aliena ſolet †.

Denique, ſummo de incremento nihil certi dici poteſt; nonnulli etenim vel primo die, plerique autem tertio, quarto, quintove convaleſcere coeperunt; ſiquidem tunc rubor cutis calorque minui incipiunt; pulſus arteriarum, antehac plerumque citatus, fit tardior; tumor extrinſecus deſidit; ulcuſcula ſaneſcunt; ho-

moque

* Hippoc. Aphor. 7. 49.

† D. Fothergill.

ſnoque paulatim in priſtinum habitum reſtituitur.

DIAGNOSIS.

Cuivis, utcunque animadvertenti, facile apparebit, quam difficile ſit, morbum hunc notis ſui certis propriis diſcernere.

Cynanche Maligna et Scarlatina Anginoſa inter ſeſe ſimillima ſunt; utraque enim contagia ſua per populum agunt; eodem modo invadunt, eademque ſigna primum in gutture exhibent; nec non utriſque rubra exanthemata, proclivitas ad delirium, atque arteriarum pulſus creber, exiguus, variuſque adſunt.

Quae cum ita ſint, minime mirum videri debet, ſi tanta ſimilitudo errorem creat, quo alterum pro altero, vel etiam utrumque pro uno atque eodem habitum ſit et habeatur.

Decet

Decet omnino tentare viam, qua error iſte vitari poſſit; quippe quia in hoc ordo felicis curationis totus vertitur. Quod ſi auſis excidam, voluiſſe tamen pro virili parte haud poenitebit.

Cynanche Maligna vere et hieme; Scarlatina Anginoſa aeſtate atque autumno plerumque advenit.

Deinde, prior corpora magis irritabilia, infantes itaque, adoleſcentes et foeminas; poſterior annis robuſtos, tamque viros, quam foeminas validiores, ſaepius occupat.

Porro autem, in hac cutis ipſa eſt coloris coccinei, laevis, (ſin minus, puſtulae tamen ſunt apice albo,) nec non ſemper calida et ſicca; in illa cutis ſubrubet, mane parvo ſudore madeſcit, ac puſtulae magis, quam interſtitia, rubent.

Denique,

Denique, aliae ſunt differentiae, quas memorare operae erit pretium.

In Cynanche Maligna, ſaepe dejectio fit, neque ullus certus eſt finis; in Scarlatina Anginoſa alvus ſub ejus adventum ex conſuetudine fertur, et die tertio, quinto, octavo, vel undecimo finis fit; haec denique ad inflammationem potius, illa ad putredinem ſpectat.

Jam demum, hiſce proviſis, crederet aliquis, rem ad liquidum perductam eſſe. Atqui longe aliter eſt. Quid ita? Quia nimirum omnia ſigna, ſupra comprehenſa, admodum raro in morbo utrovis ſimul obverſantur. Nunc itaque, cum unum duntaxat eorum aut alterum plane deprehendantur, quam plurimum loci conſultationi atque arbitrio curantis relinqui neceſſe erit. Quid igitur faciendum eſt? Idem ſane, quod in quolibet alio caſu, id eſt, communia quidem non negligere, propria tamen cum cura

quam

quam impenſiſſima intueri, hiſque tantummodo inſiſtere oportebit.

Deinde ſequentibus, niſi forte animus fallit, Cynanchen Malignam ab ea, Tonſillaris quae appellatur, diſtinguere in promptu eſt.

Enimvero pars ipſa, quae maxime omnium plerumque afficitur; modus, quo corripitur aliquis, nec non ſignorum ordo, atque exitus, omnia haec in utriſque inter ſeſe differunt.

Nunc autem eas proprietates, quippe ne mediocriter quidem rei medicae docto peritoque ignotas, fuſius differere ſupervacuum eſt.

In praeſentia vero illud commemorari convenit, quod in Cynanche Tonſillari inflammatio loci praecipue omnium vexat; hinc cuncta ſigna, in primis acutus ſubſultans dolor, iſque ex humoribus devoratis multo vehementior, oriuntur;

contra

contra in Cynanche Maligna totum corpus quaſi ſtimulo ſui proprii generis urgeri videtur, et guttur, quanquam ſemper majus minuſve, attamen nonnunquam parum, laborat.

Poſtremo, id quoque, coronidis loco, forſitan accedere debet, quod in hac detractio ſanguinis, purgatio, ac refrigerantia ſemper fere jugulant; in illa contra eadem, mature ſcilicet et curioſius adhibita, admodum raro vincuntur.

Ac de Diagnoſi hactenus; videamus nunc de

CAUSA PROXIMA.

Cum omnis fere cognitio multis eſt obſtructa difficultatibus, vix opus eſt praefari, quantum in hac re ſit obſcuritatis, ac ideo quantulum vel probabili argumentatione concludi queat.

Quicunque

Quicunque eam medicinae partem, pathologia quae vocatur, curioſius animadverterit, is profecto ſentit, quam nihil aut parvulum adhuc definitum ſit, aut certum, votoque expetit, miſericordia nempe et humanitate commotus, ut paululum quiddam hujuſmodi amplius vel ſibi vel ſtudiorum ſociis aliquando tandem contingat.

Doctrinam vero Proximarum Cauſarum occultam uſque et involutam eſſe nihil magis teſtatur, quam illud ipſum, quod Profeſſor *, noſtri ſeculi decus, qui induſtria atque acumine atque experientia, ſi quis unquam alius, pollebat, hucce loci illuſtrationis parum et evidentiae attuliſſe videatur.

Nec meus hic ſermo eſt, neque enim is ſum, qui diſputationi, vel auctoritati cujuſquam fidem temere derogari velim, ſed ſenſus hominum communis rationes omnes ſingulas, niſi uſu comprobatas, jure ſuo reprehendit culpatque.

Hinc

* D. Cullen.

Hinc quidem ſatis conſtat, tyro utique in medicina caveat opiniones commenticias oportere, quippe quae inter caſus deinceps offerendos tranſvorſum trudere valeant a recte conſulendo.

Caeterum de modo, quo Proximae Morborum Cauſae plane demum expediantur, nullus dixerim; certe autem ad rem nonnihil pertinet, omnia, quanquam noſtris ſententiis abhorrentia, quae a feracioribus ingeniis proponantur, aequo animo perlegere. ‘ Plinius M. etiam dicere ‘ ſolebat; Nullum eſſe librum tam malum, ut ‘ non aliqua parte prodeſſet *.’ Itaque ergo, ‘ Apes quodammodo debemus imitari, quae vagantur et flores carpunt; deinde, quicquid attulere, diſponunt ac per favos dividunt; et ‘ ſuccum varium in unum ſaporem mixtura ‘ quadam et proprietate ſpiritus ſui mutant †’.

* C. Plin. Epiſt. 3. 5. 10.

† Macrob. Saturn. ex Senec. Epiſt. 84.

PROGNOSIS.

Natura hominum ita comparata eſt, ut caris omnibus omnino conſulatur; hinc, periculo inſtante, metus, maloque jam urgente, expectatio eventi ſolicita atque anxia. Quapropter medicum decet, et animi ſui cauſa, et gratia aliorum, qui aegrotanti palleant, poſſe cogitatione futurum praecipere.

Atque etiam ſperandum eſt affore tempus, uſu ſcilicet progrediente, quo probabilius multo praeſagiri queat.

Putarit quidem aliquis nihil aut non multum boni inde oriturum eſſe; quippe quia medicus ita remiſſior foret, atque aeger calamitoſior, ante miſerias miſer. At vero quo apertius ſit periculum, eo, ut videtur, major curantis animad-

verſio

verſio et diligentia eſſe debebit. Ac tamen etſi aliquando neceſſitatem ultimam denuntiare minime expediret, tamen aliquando non item; quoniam hinc fortis petatur animus, 'mortis 'terrore carens, Qui ſpatium vitae extremum 'inter munera ponat Naturae.'

Verum hodie uſque "conjecturalis ars eſt medicina, ratioque conjecturae talis eſt, ut cum ſaepius aliquanto reſponderit, interdum tamen fallat nos; neque enim reſpondet ei plerumque non ſolum conjectura, ſed etiam experientia. Neque id evitare humana imbecillitas in tanta varietate corporum poteſt."

Caeterum "eſt utique prudentis hominis, ubi gravis metus ſine certa tamen deſperatione eſt, indicare neceſſariis periclitantis, in difficili rem eſſe; ne, ſi victa ars malo fuerit, vel ignoraſſe, vel fefelliſſe videatur."

Sed

Sed adhibeat oratio modum, et redeat illuc, unde deflexit.

Jam primum omnium ex ipſa morbi natura, ſignorum qualitate, nec non aegri aetate et corpore praeſagium capiatur oportet. Quod quidem aliud in aliis malis, id eſt, magis minuſve dubium, fieri neceſſe eſt. In nullo autem omnino incertius vel fallacius, quam in hoc, de quo agitur. "Idque in his, quae ſalutaria ſunt, dico; ſiquidem etiam ſpes nimis ſaepe fruſtratur, et moritur aliquis, de quo medicus ſecurus primo fuit."

Anni deinde tempus, morbique ipſius frequentiam animadverti conveniet; quippe quia morbi, ad putredinem ſpectantes, ſemper in autumno, quam vere, pernicioſiores ſunt; atque etiam quicunque contagia agat, is primum ſcilicet ortus, longe acerbius, neque aetati, nec ſexui parcens, quam deinceps, ſaevire ſolet.

Porro

Porro autem ſanguis ex naribus, ore, auribuſve, copioſius fluens periculum oſtendit; quippe quia multum languoris inde ſubſequitur, aliaque indicia pro illius nimietate pejora fiunt.

Malum quoque eſt, ſi diarrhoea haud levis, ab initio orta, morbo increſcente, permanet; opio quidem atque aſtringentibus pauliſper ſupprimi poteſt; plerumque tamen auctior repetit, vireſque conſumit.

Denique, ſi tertio quartove die ſigna nihil ſe remiſerunt, atque delirium ſupervenit; ſi tumores in gutture magni et flaccidi fiunt; tonſillae nigreſcunt; ex ulceribus putris ſanies et tetri odoris fertur; ſi dejectio eſt non voluntaria; ſudor plurimus fluit; ſpiritus difficilius redditur; ſi pulſus arteriarum langueſcit, atque extrema corporis frigeſcunt, in propinquo mors eſt.

Contra

Contra autem ſcire licet, hominem non periclitari, ſi ſigna leviora ſunt; ſi oculis ſuus manet nitor; nauſea ac dolor circa ventriculum minuuntur; aliqua eſt appetentia cibi; ſi poſt exanthemata vomitus et dejectio deſinunt, aliaque modico ſudore, qui plerumque ſub mane fit, levantur.

RATIO MEDENDI.

Nunc vero praeter caetera, quae modo Proximam Cauſam ſpecialiter nominari vetabant, illud quoque animum ſubit, quod opella haecce ad uſum praecipue ſpectat, ideoque omnis argumentatio ſubtilis ſine fraude omitti poteſt.

Hinc rationes, quibus medicamenta, in hujuſmodi caſu uſitata, aut acrimoniam putredinemve materiae circumactae minuere poſſe, aut ſpaſmo auxiliari, itaque cunctas actiones reſtituere

titere putentur, haud in magno equidem ponam diſcrimine. Effectus duntaxat ipſos, ratiocinatione nimirum, ut aequum eſt, feracioribus ingeniis relicta, memorare lubet.

Prius vero ordinem curationis, olim adhibitae, paucis referre convenit, quam ejus, quae nunc praeſcribitur, ut ita facilius ex utriuſque comparatione verum judicium interponi queat.

In Italia igitur atque Hiſpania, ubi morbus hicce, ut ſupra dictum eſt, plurimos oppreſſit, medici, protinus inter initia, omnibus ſanguinem, inciſa vena, detrahi atque alvum purgatione ſolicitari jubebant. Utrum ſane hoc, an illud prius fieri debeat, dubitare videntur; ſed duo iſta deinceps eſſe omnino neceſſaria affirmant contenduntque.

Quam inutilia autem ſint utraque, vel potius quam perniciosa, nemo hodie, vel mediocriter

quidem

quidem doctus, ignorat; atque etiam mirum eſt, ea tamdiu, nuper enim admodum ſubmota ſunt, aliquid loci in hujuſmodi caſu obtinuiſſe.

D. Fothergill tandem princeps et ſcriptis ſuis et efficaci curatione errorem coarguit; brevique ſententia ejus omnibus ſingulis probata eſt.

Hic enimvero edidit de hac re libellum, non carum auro contra, quo ſatis luculenter oſtendit, miſſionem ſanguinis ac dejectionem nihil omnino prodeſſe; quin etiam eadem, morbo nempe ipſo leviore, admodum nocere; atque calorem, jactationem, delirium, difficultatemque ſpiritus, quae in aliis morbis ita minuantur, in hoc certe iſtis ipſis adaugeri.

Ille quidem, ſi quando infirmitas eſſet haud vehemens, atque inflammatio contra haud levis, ſanguinem mitti debere confeſſus eſt; ſed affirmat, quanquam ita tumor circa tonſillas fau-

ceſque

eaſque nonnihil deſidat, cruſtulae occaleſcant, atque abeant in lividum nigrumque colorem, nec non calor, atque arteriarum pulſus primo paululum quiddam in melius referantur, attamen ſemper fere omnia cito in pejus ruere; ſubeunt etenim difficultas ſpirandi, frigidi ſudores, ſtupor, et durae gravis inclementia mortis.

Caeterum idem quoque auctor eſt, cathartica vel leniſſima pariter laedere.

Quae cum ita ſint, D. Fothergill multiſque aliis teſtibus, quis eſt, qui dubitet, omnia evacuantia eſſe huic morbo alieniſſima, utique ſi vires antea adverſa valetudine, intemperantia, animi affectibus, deprimentes qui vocantur, aliove quocunque modo infractae fuerint.

Medici quoque olim, eodem decepti errore, in hoc genere Nitro, Spiritu Mindereri, Salibus, Neutri qui appellantur, &c. nimio plus uſi ſunt;

namque id genus omnia, utpote ad inflammationem apprime commoda, poſſunt fortaſſe paululùm modo juvare.

Hydragyrus denique ab aliquot in America laudatur; qua vero de cauſa nobis parum liquet. Apparet ſane, eum ibi ſemper cum cortice Peruviano aliiſque valentioribus fuiſſe adhibitum; unde facile credideris, effectus, proprie et vere nuic tribuendos, ad illum, forſitan ex rei novitate, adſcribi potuiſſe. Caeterum Hydrargyrus, id quod nemo neſcit, in primis evacuare valet, ideoque in hujuſmodi caſu non ſupervacuus modo eſt, ſed etiam contrarius; atque expectorando quoque cedere multis id genus aliis, mea quidem ſententia, videtur *.

Verum

* Sic ſane, duobus fère abhinc annis, quo quidem tempore hocce commentarioli ſcriptum eſt, judicabam. Verum haud ita pridem D. Scot, amicus meus, qui artem ſalutiferam

Verum his, ſicut aequum eſt, dimiſſis; veniamus nunc ad alterum curationis modum, omnibus etſi numeris non abſolutum, multo certe probabiliorem, ni fruſtra medicinam docuere magiſtri.

Jam inde usque ab initio, utique ſi aliquid nauſeae adeſt, Ipecacuanha, eaque cum chamaemelo decocto ingeri debet; ita enim haud parum proficitur, quatenus ventriculus exoneratur, ac levior fit Diaphoreſis.

Mox paulo corticem Peruvianum, eumque liberaliter ac frequenter, dari oportet.

Hujus quidem effectus adeo mirifici ſunt et citi,

ſalutiferam Londini feliciter exercet, dixit, ſeſe, quippe qui expertus fuerit Hydragyrum, inter principia protinus datum, plurimum proficere, brevi libellum de ejus facultatibus in hujuſmodi caſu publicaturum eſſe.

citi, ut complures rationem ejus rei, quod ſane difficilius factu videtur, afferre tentarint. Nonnulli cauſam ex illius amaritudine, alii ex propria adſtringendi facultate trahere volunt. Atqui bene multa ſunt et amara et aſtringentia, quae nihil tale efficiant. D. Cullen, ex eo, quod prius effectum ſuum exhibet, quam in ſanguinis copiam deduci poteſt, arbitratur, illum ventriculi nervos, itaque ergo totum Nervoſum Genus afficere. Caeterum qua ratione cunque res fiat, ſatis conſtat, eum vires reficiendo citius prodeſſe.

Variis autem modis remedium hocce praecipuum adhibetur. Sed D. Cullen *, qui hac in re mihi unus eſt inſtar omnium, cenſet, pulverem maxime auxiliari; quippe quoniam materia decoquendo ſemper aliquatenus mutatur, ac partes ſubtiliſſimae, quae quidem optimae, exhalando abeunt.

Interdum

* Firſt Lines, &c.

Interdum vero ſtomachus eum continere nequit; ſub quo caſu duplum ex inferioribus partibus infundi debet, ſimulque vomitus per hauſtus, Effervefcentes qui vocantur, ſiſtatur oportet.

Eſt quoque, ubi Diarrhoea ſubſequitur; tum Pulvis Caſcarillae, quae, utpote aſtringens, alteri dat opem, aliterque conjurat amice, maxime omnium convenit.

Interea autem curioſius ulcera in faucibus animadvertere expedit; ad haec gargarizationibus, quae aſtringant, putredinemque cohibeant, utendum eſt; caeterum ea, quae conſtat ex Tinctura roſarum ſpirituque ſalis marini, ſatis commode reſpondet.

Cantharides illitae, Linimentum Volatile, aliaque id genus, collo impoſita multum proficiunt.

Vapores myrrhae et camphorae, ex aceto melleque

leque coctorum, ad pulmones per inſtrumentum, Inhalator qui audit, delati, nonnihil adjuvant, quippe qui gravitatem ſpiritus levant, ac ſalivam faciunt ut fluat.

Homo, protinus a morbi principiis, continendus eſt in conclavi, quam mundiſſimo, quo multum et purum aërem trahere poſſit; cum eo tamen, ut exhalatio per cutem neutiquam impediatur.

Quod ad victus rationem attinet, generibus praeſertim farinaceis, juſculo ex pane et aqua confecto, Sago, ſimilibuſque, nec non aeſtivis fructibus, qui Diarrhoeam non invitent, et Vino Rubro, aqua acidiſque mineralibus diluta, utendum eſt.

Denique, ſi his, quam curioſe ſervatis, exercitatio remiſſior atque aër purus acceſſerint, nil niſi bonum, ea ſcilicet ex fiducia, quae ſit rebus humanis, ſperandum foret.

Nunc

Nunc enimvero, hocce opuſculo qualicunque demum peracto, Gratias, eaſque juſtiſſimas, Profeſſoribus Medicinae conſultiſſimis, qui Almam hanc Academiam ornant, publice agere atque habere convenit omnino juvatque. Neque unquam ſane meminiſſe pigebit, officia nec pauca, nec parva, mihi inter ſtudii medici curriculum a Medicis Valetudinarii Sancti Bartholomaei Londinenſis impenſa, a D. Auſtin praecipue, cui profecto ob virtutes ſingulares, quae quidem Doctrina tantummodo ac felici curationis ratione aequentur, non noſtrum eſt digna praeconia dare.

F I N I S.

BIBLIOTHECA BODLEIANA